Vincentii: Phosphorus annuae et festivae celebritatis.

PHOSPHORVS
Annuæ, & Festiuæ Celebritatis,
DIVINISSIMI & DIGNISSIMI
D. PETRI
APOSTOLORVM
PRINCIPIS,
In terris Christi Vicarii, & S. Ecclesiæ
CATHOLICÆ ROMANÆ
Vniuersalis Capitis, iuxta ac supra Artem Medici.

Clarissimo & de Literis Meritissimo Viro Domino
D. PETRO
MVCHARSKI,
PHILOSOPHIÆ & MEDICINÆ DOCTORI,
Inquilino Ciuitatis Iaroslauiensis per quàm Eximio.

A IOANNE VINCENTIO MVCHARSKI, Artium Magistro, & Philosophiæ Doctore, & Professore in Alma Academia Crac:
Filiali obseruantia, nec non amore solenniter
DICATVS.

 Anno M.DC.XLV. Mense Iunij 29.

In patrium insigne vernantis LILII



In solo | A polo



Crescit | Virescit

Qua paritate valet, nimis est conforme, nitorem
Liligerum vt stellis, stemma duabus agit
Te tua MVCHARSCI virtus, probitasq́; bearunt,
Lilia cum stellis, stemmate quando refers.
Est color, est & odor florum, calor est face, Lumen,
Nil vereare quod est, quod venerere tene.
Candor, olet virtus, probitas nitet, igne polari,
Participes Nato, Lumen vt orbe Tuo.





FAVSTVM OMEN FESTIVÆ DIEI.

PHoſphorus æſtiuum, cæleſti cardine Phæbum,
M eſsibus aduectat, Zodiacumq́ue mouet.
E xſerit octipedis, iam ſydus aquatile Cancri,
E xcoquit ac Latio, putre calore ſolum.
T e ſydus binum, decorant duo Lilia: PETRO,
D euotam ſignant, Liligera arua diem. (mens,
R ore madet candens flos, quem tegit Heſperus hu-
I nq́ue diem viridi, Phoſphorus auget ope.
V nus vt hinc Nato flos, & Tibi ceſſerit alter,
C ælica ceu ſimili, fax paritate iubet.
S tellatum quamuis orbem, dimiſerit Atlas,
I pſe potes Genio, vim tolerare Tuo.
M e quoque participem, tanti vel luminis effer,
N e velit Ecclypſim, ſydus vtrumq́ue pati.
V irtutum vt placidam, præfers pietate Tuarum
Æ ſtatem: fructus ſic adoleſcat humi.

C onſilio quantùm valeas (modo velle Paternum
D itis opem ſtillet) multa patrare ſcies.
H eſperias celeret viſurus Filius oras,
O cciduos Paduæ, Limite luſtret agros.
A d patrios ſanè mores, increſcet abunde,
C ollucere pari, cæperit atque faci.
R efert namq́ue nimis, GENITORIS pingere for- (mam,
T alis vt in Nato, perſtet imago Tuo.
S uſpicio florum, ſtellarum rimor vtrumq́ue
O men: adeſt facilis ſpes, mediante bono.
C ætera, præcipuæ virtutis munia, quiq́ue
R eſpiciant in Te: ritè videre volent.
I ngerat Altitonans, Pylios cui Conditor annos,
VIVAT Olympiadas, Neſtoris ore graues.

GLORIA
Perpetua ſocia, & Comes virtutum.

MAſcula Lesbiacis, Sappho peritura ſagittis,
Non aciem ſubeat, ſe quippe ſuperſtite viuam.
Carne reſeruet humi: nec dum Libytina remorſu,
Lethifero diuexet eam, orbe Poëtria plures
Exigat ætatum, vitæ ſine crimine curſus,

Or

Ore Maronæo, fortes Heröas adæquet.
Troiugenis, Lyricis etiam, vel concinat Odis,
Facta virûm, aut Metris salsè moduletur acutis,
Sic, vt Apollineas, gratè compleuerit aures
Sappho subinde ciet, grauium modulamen honorum,
Quos vel Iure potenter adepti, Baldus & Azo,
Bartholdus, Petrarcha, Iason, Marantha Gaillus,
Mitto Tiraquellos, Inotomos, Iure probatos.
Quos Schola Doctorum, Legum, Iurisq; peritos.
Vsq; stupet: Mathesis Ptolemæos laude celebrat,
Tychobrahen laudat, quos Albumazar honores
Quotq; refert? Alphonsus quot, vel claret in oris?
Tumq; Peurbachii, est concentrix gloria famæ.
Arte Dioscoridem Medica, Mesuemq; Rhasimq;
Hippocratem grandi, Galenum tum quoque summo
Iudicio, miratur humi, Gordonius acer,
Brassauoli, Quercetani, laus quanta probatur!
Fernelii, tùm Fallopii virtute Medendi,
Non satis vsq; repletur humus: sed quid cano canos,
Annis ingenioq; viros? PETRVM quippe MVCHARSKI
Exhibet ad faciem Genius, sat dexter vtrinq;,
Experimentorum grauium, praximq; modumq;
Consilii; quem laude Iaroslauiensis origo,

 Proso-

Prosequitur, pòst hunc Academia Mater alendum,
Excepit gremio, graduum lactauit Honore.
Vsq; Magisterii SCHONÆO *præduce laurum*
Susciperet, Paduamq; mearet lætus in vrbem.
PLAZZONI *sensis, Anathomen pluribus acrem*
Imbibit: hic *vocumq; thesi, certauit aperta,*
In studio Paduæ generali, certa Medendi,
Dogmata iudicio prælibans. Parte deinceps.
Ausonia, Eustachii Wołowicz ductus amore,
Hunc ab OPALINIO *Andrea cognouit: vtroq;*
Præsule; Vilnensi primo, Posnense secundo.
Gratificè fuerat tractatus, quis vel neget illud?
Inq; via comes à Bnin OPALINIO *hæsit amandus,*
Donec Lechiacas, remigraret saluus in oras.
Longinquum permensus iter, Ioue quandoq; tetro,
Insaniq; metum pelagi, & sine fluctibus æquor.
Ancipites furias tolerans, superauit ad vsq;
Prædulces Patriæ fumos, tutusq; resedit
Axe Polonorum, Roxanos inter & agros
Versatus, quantùmq; manens lare: postmodò visum
(De STEMBERK *prius Ostrogiense Ducissa*
Persuadente) medendo promptum fecit amandè
Sors prudens Procerum Magnatibus: vnus & annus

Lustrum

Lustrum præter enim quinum, ceu dico peractus.
Fronte videbatur tenera, quem mens bona Thomæ,
Magnanimi ZAMOSCIADÆ, pertraxerat ad se.
Si quam de præstante, Machaonis arte salutem,
Procurasset, abundè peractum res tulit illic
Præsidium. Vilnensis quondam Sede Dynastæ
Incolumem CHOTKIEVICIAM (corporis ægri
Depulso faustè discrimine) reddidit auræ
Vitali firmam; Lætos quoq; ducere soles,
Cura vigil medicando: frequens prudentia plures
Subdidit, Hinc Dominæ Vilnensi tendere cursus
Non oblita dehinc, promissi quippè fauoris,
Fratrem namq; meum, tutellæ subdidit auctæ,
Pauco nec spatio, subiecit alendo fouendum
Cracîaca Præses, LVBOMIRSCIVS Arce verendus
Magnanimus Comes, & quandoq; medellam,
Præscripto sumpsit MVCHARSKI. Porrò Patronam
(Lucas de Bnin OPALINIVS Marschalcus ad aulam
Conspicuus Regni) persæpè manumq; fidemq;
Fortiter expertus: SIENIAVIA prisca Penatum
Tecta Podalyriam, senserunt vndiq; curam.
Archiepiscopicas, mirata Leopolis ædes (fecit.
GROCHOVIVM, si quando MVCHARSCIA dextra re-

Quis

Quis DANILOVICIUM, Thesauri quæro Gubernum
Restituit, sano toties curamine? PETRUS.
PETRUS item, Sendomiriensem, voce LIGEZAM
Disposuit Castellanum, vi non semel ægra
Quin cecidisset, postremam clausisset & horam.
VAPOVIUM curauit & is, Præmislia testis.
GROCHOVIUM pariter, certo medicamine, vitæ,
Reddidit appositum, quiqui nunc carne superstes,
Felici voluit terris, spiramina ductu.
Plura Senatorum, medicam subsellia norunt,
PETRINAM fausto, progressu tangere dextram.
Millenis hominum prodest Tua dextera morbis,
PETRE celebris in arte medendi, suscipe Sapphum
Virtutum celebratricem, quæ dixerit audi,
Multa Tibi debet fortuna, sat ars quoque debet,
Sed Medico Te plura Deo, debere fatere,
Qui Tua, Teq; simul curat, cui reddito grates,
Pignora quodq; Tuæ, doctrinæ grata reseruet,
Seu quibus exercendo, pharmaca crebra propinas,
Filius ipse piis, peragit modulando Camænis.
Penderis vt quantùm, fuluæ de pondere massæ,
Obsequii tantùm vel plus tibi spondet habendo.

